

17.

Viro Amplissimo DD. Nic. Jacquinio Amico sincero
s. pl. d. Car. Linnaeus Eques.

Excitatus hodie fui Tuis d. 27. Januarii datis, ubertim sudantibus eruditione et amicitia, pro quibus devotissimas reddo.

Video ex iis quam pulchras possides plantas in Tuo Horto. utinam aliquando velles mihi dare ramulum in literis ex sequentibus: Laugieria, Hypselion, Nissolia.

Undenam habuisti Laurum Cinnamomum? an ex America? nesciebam hunc dari in Europa hodie.

Didici nunc a Te, quod laetor, Chrysophyllum Loeffl. esse Jacquiniam; Rhamnum cumanensem Beurreriam; Edechiam Laugieriam.

Noveram antea	Butneram	esse	Chaeteam.
	Calceolariam	»	Hybanthum.
	Hermesiam	»	Browneam.
	Samydam	»	Guidoniam.
	Bejuco	»	Hippocrateam.
	Wachendorfiam	»	Hapalanthum.

Loranthus Loeffl. habetur p. 187.

Menais Loeffl. est omnino calyce triphylo; habui eandem etiam a Gallo.

Coactus debui incipere cum nova editione specierum plantarum, quam nuper incepit prelo submittere, cum omnia exemplaria erant distracta, alioquin edidisset eas secundum priorem editionem Salvius.

Utinam habuissem antea tuum opus; sed doleo, tamen coactus continuare debeo.

Loranthi speciem dicis Te reperisse in Austria, quod valde miror.

Carex 9 est *Carex atrata*.

Carex 12 » *Carex montana* Flor. succ. n. 845.

Carex 10 » *Carex muricata*.